

rum mortalitatem inducat. Tanti est nimirum vanis animi sui speculationibus indulgere, aut sese vitis, lasciuiaque dedere, quod vtrique & Arabici, & Psychopannychite (aduersus quos eruditissime pie memorie D. Calvinus scripsit) fecerunt.

HAERESSES AB IP SO

Augustino additæ.

CAP. LXXIIII.

Alia hæreses, è quibus prima est Heluidianorum, & quod illius dogma fuerit.

Nunc illa commemoranda sunt hæreses, quæ à nobis non apud istos repertæ sunt, sed in recordationem nostram quomodocunque venerunt. Heluidiani exorti ab Heluidio ita virginitati Mariæ contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de viro suo Ioseph peperisse contendant: sed mirum ni istos, prætermisso Heluidij nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellet.

I Heluidiani exorti.) Transitio est. Iam enim præter eas hæreses, quas tū ex Eusebij & Epiphaniij libris, tum etiā Philastri cōmentario decerpit, descripsitque Augustinus, alias affert ab illis omnibus prætermittas, à se autem collectas. E quibus prima est hæc Heluidianorum, aduersus quam animosus Virginitatis defensor Hieron. scripsit, etsi verè improbanda est Heluidij sententia. De qua nunc nihil est necesse pluribus agere, cum suprà cap. 56. in Antidicomarianis de ea sit abundè disputatum. Ad quem e-